



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 6. De Idiomate Hebraico.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

quamplurimi enim, quin de suo otio, ac domestica tranquillitate quicquam remitterent, illam non sine animi voluptate, ingentique proventu intra lares suos pervolvere poterant; quippe plurimis datum erat veritatem in suo fonte haurire, simulque illorum vilipensionem evitare, qui eam veluti rem omnino peregrinam respuebant; insuper valebant falsitatis convinci, quicumque, ut sua figmenta fulcirent, aut errores suos defenderent, summopere venerabilium antiquitatis nominum auctoritate gloriabantur. Præterea Catholici, quoties cum hæreticis in arenam descendere cogebantur, iisdem arma, quibus hi adversus Ecclesiam utebantur, e manibus extorquebant, illosque iisdem vincebant testimoniis, quæ adversus nostra dogmata velut invictissima tela vibrabant.

## §. VI.

*De Idiomate Hebraico.*

Inter omnia studia Viro Ecclesiastico, ac cuicumque alteri erudito, cui divinarum literarum sensum assequi placet, ac pro suo arbitrio temporis horas impendere integrum est, nullum aliud, quam linguæ hebraicæ studium magis convenit, nec alia re minus carere valet. Enimvero hujus scientiæ necessitas jam



eo tempore deprehendebatur, quo purior literarum selectus reflorescere cæperat; hæc enim lingua est, qua Divini Verbi oracula primo fuere conscripta, atque hujus idiomatis studium jam a primis Ecclesiæ sæculis tanquam omnino necessarium reputabatur. Equidem Protestantes, quod hujus linguæ usum in Europa restaurarint, insulse gloriantur, nam ipsimet, si tamen hac in re velut idiotæ derideri nolint, fateri coguntur, quod hanc gloriam cedere teneantur Catholicis, qui primi eorum Magistri, fontesque erant, ex quibus hodiedum hauritur, quicquid circa linguas Orientales purum, ac utile habetur; quippe Joannes Reuchlinus, qui potissima ex parte in sæculo decimo quinto floruerat, absque omni dubio Catholicæ Religionis addictus erat, isque idem in lingua hebraica celeberrimus, atque inter Christianos primus celebratur, qui hoc idioma ad artis regulas redigebat; nam is a Joanne Wesselio Groningano prima hujus linguæ rudimenta didicerat, plurimosque imbuebat discipulos, in quibus hujus studii amorem resuscitaverat. Insuper Picus Mirandulæ Comes abs dubio Ecclesiæ Romanæ communioni junctus erat, illius tamen opera maximus linguam hebraicam sciendi ardor per totum Occidentem accendebatur; quinimo



quinimo potissimi ex hæreticis, qui tempore Concilii Tridentini hoc idioma ca-  
lebant, illud in sinu veræ Ecclesiæ, a  
qua defecerant, adhucdum didicerant,  
& insulsæ ipsorum cavillationes circa  
sacri textus sensum magis adhuc ortho-  
doxos excitabant, ut majori studio in-  
cumberent illi linguæ, quæ ad victo-  
riam, & hostium suorum cladem potis-  
simum conferre posset. Hac in re Ca-  
tholici aliunde mentem assequebantur  
Clementis V. Papæ, qui jam ineunte  
sæculo decimo quarto præceperat, ut  
Græcum, Hebraicum, imo & Arabicum,  
& Chaldæum idioma ad peregrinos  
instituendos Romæ, Parisiis, Oxonii,  
Bononiæ, & Salmanticæ publice trade-  
retur; cum enim hic Pontifex utili-  
tatem ex solido literarum studio proma-  
nantem probe cognosceret, hinc unice  
intentus erat, ut ex linguarum usu in  
Ecclesiæ commodum plurima orirentur  
lumina, quæ illam illustrare valerent,  
ac maximus accresceret Doctorum nu-  
merus, qui contra omnes hostium erro-  
res Ecclesiam defendendo pares eva-  
derent. Speciatim postulabat Ponti-  
fex, ut harum linguarum, præcipue ve-  
ro hebraicæ cognitio ad Sacræ Scripturæ  
studium permoveret, cum sacri libri, si  
in suo fonte leguntur, Spiritu Sancto,  
qui eos dictabat, adhuc magis digni re-



putentur, eorumque excellentia, sanctaque simplicitas propius cognita majorem erga illos venerationem inspiret, & cunctis, quin tamen quicquam de reverentia latinæ versionis debita subtrahatur, manifestum fieret, quod textus originarii cognitio ad firmandam fidei soliditatem, & obstruenda hæreticorum ora adhuc minus Ecclesiæ proficua sit.

## §. VII.

*Collegium Regium Parisiis erectum.*

Præterea pia Clementis V. consilia plene fuere adimpleta, postquam Regium Parisiense Collegium sub Francisco I. Rege circa Annum Domini millesimum quingentesimum vigesimum octavum (ut refert Genebrardus) erigebatur, cujus incunabula merito eruditi Budæi famæ, ejusque in literis assiduitati in acceptis referuntur; quippe præfatus Franciæ Rex literarum, atque Eruditorum fautor hujus Collegii munia Viris suo ævo celeberrimis omni ex parte accitis committere satagebat, quin semper in illis nationis, sed unice scientiæ rationem haberet, nam Paulus Canussa, & Agathius Guidacerius, qui primi ibidem linguam hebraicam tradebant, alienigenæ erant, licet Vatablus, qui eis successerat, patria Picardus esset, ac profunda sua hebraici idiomatis peritia,